


v.
Beul-
witz

79.52





D

P

C

.SI

16.



45
DE
MANDATO NEC DOMINI
NEC MANDATARIII VOLVNTATE REVOCANDO
BREVIS DISQVISITIO

QVAN
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO GEORGIO ADOLPHO
DE ZERBST
SERENISSIMI PRINCIPIS VALDECENSIS
CONSILIARIO INTIMO
AC REGIMINIS CIVILIS ET ECCLESIASTICI
PRAESIDI GRAVISSIMO
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
OFFERT ATQVE DEDICAT
He 299
LVDOVICVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ.

FRANCOHVSÆ, TYPIS KEILIANIS
ANNO MDCCLII.




MANDATO NEC DOMINI
NEC MANDATARII VOLUNTATE REVOCANDO
BREVIS DISPOSITIO

TERENTIVS

in Procl. Adelph. Edit. de Mad. Dacier T. II. p. 253.

aequanimitas
Bonitasque uestra adiutrix nostrae industriae.

FRANCORVM THER KENNIG
ANNO MDCCII





um munus a Serenissimo Optimoque Principe, TVO, VIR EXCELLENTISSIME, suasu atque assensu, clementissime mihi assignatum, ex multis aliis rebus exoptatissimum gratissimumque mihi est, tum hanc praesertim ob causam eo delector, quod mihi contingit, sub TVO patrocinio eo fungi, & ad rempublicam TE monitore accedere. Quo in munere capessendo nulla neque maior neque antiquior mihi fuit cura, quam ut publice profitear, studium in TE meum, & hanc ob causam pagellis his meis veniam parandam esse non puto. Aequum enim iudicavi, eius nomini sacram esse commentationem meam, cui & me totum meaque studia dico, cuiusque imperata, quantum per virium tenuitatem licebit; obedienter facere nullo unquam tempore intermittam.

Non commendat se opusculum plurimum pagellarum numero, qui alias hominibus cupiditatem maximam iniicere solet, sed fortasse eo, quod malignis

*lignis illis hominibus, qui, ob mentem recti sibi
haud consciam, curiam iudicis fugiunt, quasi exi-
tus praeccluditur. Cuius argumenti, a nemine,
quod ego quidem scio, hactenus occupati, singula-
rem pertractationem ut accipias in bonam partem,
& conatibus laboribusque meis in posterum an-
nuas, TE, VIR EXCELLENTISSIME, enixe
oro rogoque.*

*Faveat Deus beneficio, quo reipublicae TE
optimum publicae salutis bonarumque artium cura-
torem concessit, praestetque saluum TE unacum reli-
quis Tuarum curarum sociis, atque integrum per
annos plurimos, ut quam diutissime Optimus Prin-
ceps TE in capiundis consiliis habeat Nestorem,
ciuibus sis solatium mibique praesidium &
ornamentum.*

S. L.



§. I.

De quonam Procuratore hic sermo
fit?



um Procuratorum, qui aliena
negotia mandato domini ad-
ministrant, (a) tam multae di-
uersaeque inueniantur in no-
stro iure species, indicandum nobis esse uide-

A tur,

(a) Ita definiuntur in l. i. pr. ff. de procuratorib.

tur, de quonam Procuratore sermo fit nobis, de Reuocatione mandati iam exponen-
tibus.

Atque nos quidem si nominamus hic Procuratorem, intelligimus illum iudicalem, qui ad agendum uel defendendum (b) datur, et excludimus extraiudicalem, aliosque, qui huc non pertinere uidentur, praesertim Procuratorem in rem suam, quippe qui, cum lis sua sit, non potest reuocari. (c)

§. II.

(b) SCHÜZZII Comp. Iur. Lauterb. T. de Procurat. in D.
p. m. 65.

(c) uid. STRAUSSII Diff. de Reuocatione Procurator.
tacita §. III.

§. II.
**Quid sit reuocare Procurato-
 rem?**

Reuocamus procuratorem cum declara-
 mus, nos haud uelle istum diutius administrare
 negotia nostra ei commissa. Id quod cum fiat
 aut uerbis aut factis, reuocatio etiam omnis
 uel expressa dicitur, uel tacita. (a) Qua qui-
 dem ex suppeditata nostra reuocationis defini-
 tione apparet simul discrimen inter mandati
 reuocationem, et expirationem, quod aiunt,
 eiusdem.

Verissimum quidem est, omnem reuoca-
 tionem efficere, ut expiret mandatum; ue-

A 2 rum

(a) uid. B. THOMASIVS in eleganti & bonae frugis libello:
 de Reuocatione tacita mandati iudicialis.

rum enim uero non omnis expirationio mandati est etiam reuocatio.

Supponit enim mandati reuocatio uoluntatis mutationem, et in quacunq[ue] expiratione haec non concurrit, ea reuocationis mandati nomine appellari nequit.

Quae si longiori pertractaremus oratione, magis soli praeferre facem, quam indagare ueritatem, uideremur.

Hoc tamen inficiandum non est, Iurisconsultos duo illa diuersissima, expirationem & reuocationem mandati, quandoque confudisse. Ita, ut instar omnium unum appellemus, **MENOCHIVS**, ^(b) quem ii, qui aliorum

(b) Libr. 2. Praef. 36. n. 28.

rūm causas agunt, diurna manu euoluunt, inter coniecturas mandati reuocati parum apte refert etiam mortem mandantis. Vt enim mortuus non potest uelle; ita etiam uoluntatem mutare seu reuocare nequit. (c)

§. III.

Quomodo et quando fiat mandati reuocatio?

Quae autem, ut haec mandati reuocatio ualida sit, requirantur, breuiter, Amice Lector, si ita placet, accipe.

Non sufficit simplex reuocatio in iudicio oretenus uel scriptis facta, multo minus ex-

A 3 tra-

(c) B. THOMASIVS de reuoc. tacita mand. iud. §. 24.

traiudicialis. (a) Quia enim mandatum iudiciale in iudicio ipso producitur, in ipso quoque iudicio eius instituenda est reuocatio. In eo quidem conueniunt Doctores, re integra facilius reuocari mandatum posse, quam si res amplius integra non est. (b)

Facile enim reuocatur id, quod perfectum nondum extat; difficilius uero est reuocare ea, quae iam sunt perfecta et consummata. (c) Inqui-

(a) MÜLLERVS ad STRVV. Synt. Iur. Ciu. Exerc. VII. §. 37.

(b) MÜLLERVS loc. cit.

B. REINHARTHVS ad Christin. Decif. Vol. I. Dec. 116. n. 4.

LYNCKERI Decif. Centur. IV. Dec. 316.

BECKII Decif. & Resp. Resp. 24. nr. 6. 7. 8.

(c) uide PRVCKMANNI Respons. Consil. 12. n. 242. p. m. 257. auctoresque ibi allegatos.

Inquirentes quid sibi uelint Icti cum di-
cant, *re integra* reuocatione in esse instituen-
dam, inuenimus non omnibus hac de re fuisse
iustam sententiam. MULLERVS uerba
re integra, quibus STRVVIVS usus est, hoc
modo illustrare conatur: *Re non integra, lite
scilicet contestata, uel in causis, in quibus litis
contestatio necessaria non est, postquam de meri-
tis causae coeptum erit, dominus non potest pro-
curatorem mutare.* (d)

Ita etiam de hac reuocatione sentire ui-
detur B. REINHARTHVS, qui tamen in re
dubia, etiam adhibet dubia uerba. (e)

Sed

(d) loc. cit.

(e) uerba haec sunt: *Cum Procurator ad lites constitutus ante
litis contestationem, quasi re adhuc integra, reuocari &c.
possit.* loc. cit.

add. BERGERI Oeconom. Iur. Libr. IV. Tit. 9. §. 5. p. m. 972.

Sed nos quidem, quanquam certum putamus, praesertim lite contestata, mandatum nec domini nec mandatarii uoluntate reuocari posse, sed tunc iudicis opus esse sententia, (f) id quod nonnullis in locis expressa lege sancitum est, (g) tamen dari etiam casus credimus, ubi absque respectu ad litis contestationem, neque amplius res est integra, neque mandatum pro lubitu reuocari potest.

Inter-

(f) l. 17. ff. de Procuratorib. Cap. 2. de Procurat. in G. B. BRVN-
NEMANNVS ad istam legem.

(g) huc spectat ordinat. Proc. urbis Stadae Tit. 9. §. 9.
*Der Sachen, darzu die Procuratores einmahl bestellet, sollen
sie sich nicht entschlagen, ohne richterliche Exoneration,
sonderlich wenn der Krieg Rechtsens befestiget ist.* in P V F-
FENDORFFII Obseruat. Tom. II. Append. p. m.
288.

Interdum enim aduersarii uel ipsius quoque iudicis interest mandatum non reuocari. (h) Confirmatur hoc Doctorum Vitembergensium assensu, qui anno 1740. mense Aprili in hunc modum responderunt, ut ex Actis ipse didici: *Folglich alsdenn, wenn der Obrigkeit oder des Gegentheils Interesse darunter versiret, diesemnach nicht mehr res integra ist &c.*

Itaque si alterius interest, si tertii jura concurrunt, subsistere mandatum debet. (i)

B §. IV.

(h) uid. LYNCKERI Decif. Centur. IV. Dec. 316.

MENCKE in Theor. & Praxi Pand. Tit. de Procur. §. 16.

(i) TABOR in Thesauro locor. comm. Libr. XI. Cap. XI.

ZIEGLER ad Lancellottum Libr. 3. Tom. 2. §. 15. p. m.

701.

BRVNNEMANNVS ad l. 17. n. 2. ff. de Procuratorib.

§. IV.

Saepe in despectum iudicis Reuocationes istae uergunt.

Iudici, qui auctoritate sua dirimere lites debet, cauendum est ab omni, quod in eius despectum uergit, et huc fortasse non immerito referes reuocationes istas mandati, acutissimi LYNCKERI iudicio. (a)

Litigantibus enim interdum iudex per sententiam iniungit, ut potestatem accipiendi citationes mandatariis conferant. (b) Atque

(a) uide si lubet eius Decisiones Centur. IV. Dec. 316.

(b) RIVINVS in Enuntiat. Iur. Tit. IV. §. 13. p. m. 95. ubi inuenies praeiudicium Dnor. Scabin. Lipsiens. *dass Klägers Principal einen Anwald zu Annehmung derer Citationum gebührend zu bestellen schuldig.*

id sane eo magis, cum facile euenire possit, ut is, qui mandatum reuocet, alienae subfit iurisdictioni, et ita opus sit ambagibus multis ad adigendum eum, ut satisfaciat iudicato. In Saxonia, insinuanda est citatio mandatario, si Dominus extra Electoratum domicilium habet. (c) Quam propter causam non licita est Mandatario extranei eiusmodi renunciatio, nisi accedat aduersae partis consensu uel sententia iudicis. (d) Fieri enim posset, ut extraneus, qui ad recipiendas citationes constituerit Mandatarium, cum se causa cadere uideat,

B 2

deat,

(c) RIVINVS loc. cit. T. IV. §. 16. p. m. 97.

(d) ceu probat BERGERVS Argum. l. 17. et sqq. ff. de Procuratorib. in Electis Disc. forens. Tit. VII. Obs. VII. n. 2. p. m. 273.

deat, mandatum reuocet; et quis tunc reciperet citationes? Nonne hac ratione pessimus quisque homo illusorium, ut in foro loquimur, redderet iudicis iudicium? Iniustam igitur merito declarauit eiusmodi reuocationem Facultas Iuridica Vitembergensis Mense Aprili anno 1740. in Actis modo allegatis:

Obwohl beklagter Anwald sich fol. erkläret, er könne mit des N. N. Sachen weiter nichts zu schaffen haben, besonders da derselbe in Privat-Schreiben die ihm ertheilte General-Vollmacht wieder reuociret &c. Alldieweil aber so wohl der Obrigkeit als dem Kläger höchlich daran gelegen ist, dass die fol. befindliche Vollmacht, in allen und ieden beklagten angehenden Sachen, sie mögen bestehen worinnen sie wol-

wollen, zu handeln und *Citationes* anzunehmen, so lange bis Beklagter einen andern Anwalt bestellet, bey Kräfte[n] bleibe, gestalten er sonst die *Insinuation* derer Ladungen schwehr machen, oder wohl gar hindern könnte. So ist &c.

§. V.

Quid Statutum hac de re sit Romano iure?

Ad Romanas leges quod attinet, iis disponitur lite contestata non, bene autem ante litem contestatam, reuocari mandatum posse.

Ante litem contestatam libera est potestas uel mutandi procuratoris, uel ipsi domino iudicium accipiendi. l. 16. ff. de Procuratorib.

Atque facta litis contestatione opus est, ut iudex de hac reuocatione mandati iudicet, ^(a) qui in ferenda sententia ad id respicere debet, quod definitum est l. 8. ff. de Procur. Sed etiam ante contestatam litem, ac si concurrunt iura tertii, facultatem mutandi procuratoris dominum non habere, fatentur multi, qui leges illustrarunt. ^(b)

Litis autem contestationis hac in re ob eam causam habetur ratio, quia secundum Romani Iuris principia, per litis contestationem procurator fit dominus litis. ^(c) §. VI.

(a) l. 17. ff. de Procuratorib. ibique BRUNNEMANNVS. REINHARTHVS ad Christin. Decif. Vol. 1. Dec. 116. n. 4.

(b) conf. BRUNNEMANNVS cit. loc. n. 2. auctoresque ibi allegati.

(c) REINHARTHVS ad Christin. Decif. Vol. I. Dec. 164. n. 4.

§. VI.

Quid iure Canonico?

Iure autem Canonum statutum est, ut nequidem ante litem contestatam procuratori reuocare mandatum liceat. (a) Neque etiam omni fundamento destituitur haec dispositio, quia domini statim mandato satisfactionem inferere solent. Atque Canonicum ius hac in re ab iis, qui Practici uocantur, praesertim a Camera Imperii, fundamenti loco haberi, affirmat celeberrimus ille BERGERVS. (b)

§. VII.

BERGERVS *de Dominio Litis*; in eius Dissertationib. Select. Disput. 32. §. 14. p. m. 956. sq.

B. BOEHMERI *Diff. de Domin. Lit. hab. Halae 1709. Cap. II. per totum. Vbi dominii litis uarii effectus enarrantur.*

(a) Docente BERGERO in *Oeconom. Iur. Libr. IV. T. 9. §. 5. p. m. 973.*

(b) *loc. cit. Not. I.*

§. VII.

Quid iure Saxonico?

Optime res alias dubia legibus Saxonice
 decisa, iisque cautum est, ne liceat reuocare
 mandatum, nisi sententia antecedente. (a)
 Quodsi etiam de facto, ut dicunt, mandatum
 reuocetur, hoc tamen non obstante manda-
 tario citatio est insinuanda, ne iudex impe-
 diatur,

- (a) Ordin. Recogn. ad Tit. VII. §. 4. *Im übrigen stehet ei-
 nem Mandatario, wenn er einmahl eine Sache über sich
 genommen, vor deren Endigung die Vollmacht wieder auf-
 zugeben, oder dem Principal, wenn er nicht selbst sich un-
 ter des Richters Jurisdiction befindet, bevor er einen neuen
 Bevollmächtigten constituiret, das Mandat zu wiederruf-
 fen, ohne gnugsame von dem Richter vor erheblich
 befundene Ursache keinesweges frey.*

diatur, quo minus suum cuique tribuat. (b)
 Quae leges tam egregiae tamque praeclarae
 sunt, ut ante, quam latae essent, eas ferri do-
 ctissimi homines exoptarent. (c)

§. VIII.

Quid Recessu Imperii nouissi-
 mo?

Maiores nostri antiquioribus iam tempo-
 ribus ualde conquerebantur, lites ob eam po-

C

tisfi-

(b) Ordin. Fecogn. loc. cit.

(c) Ita sanciri optarunt uiri illi eruditissimi, qui Potentissimi
 Poloniar. Regis iussu anno 1699. ordinationem aliquam
 composuerunt, quam B. BERGERVS Recognitam uo-
 cat, quae tamen non obtinuit uim legis. uid. ipse in
 Praefatione Elector. Disc. Forens. uideantur quoque Ele-
 cta ipsius Tit. VII. p. m. 216. add. Iudicium ordinis ICto-
 rum Lipsiens. ibidem Obf. VII. Not. 2. p. m. 273.

tissimum causam fieri fere infinitas, quia mortuis Procuratoribus non statim alii adsint illis substituti. Quo ex malo ut reficeretur Germania, semper fere aegra, Spirae anno 1600. decretum est: *soll den Partheyen hie- mit frey stehen, iederzeit, sofern sie die Sa- chen gern befördert sehen wollen, mehr als ei- nen Procuratoren allein zu constituiren &c.* (a) Itaque voluntatis alius procuratoris substitu- tio erat, nondum autem necessitatis. Quam ob causam non medebatur haec constitutio malo, quod docta arte plus ualebat. Cum post ea tempora anno 1654. Recessus Impe- rii nouissimus conderetur, prudenter, Ca- mera

(a) uid. *Speyerischer Deputations - Abschied* de anno 1600 §. 66.

mera Imperii Proceres Germaniae monuit, de Procuratorum substitutione publica lege litigantibus iniungenda, (b) causas (c) simul adferens dati consilii.

Quibus rebus factum est, ut Recessu (d) iuberetur: *sollen inskünfftige die Partheyen schuldig seyn, den Procuratorn einen Substitutum bey zu ordnen, welcher ohne weitere Bestellung den Process zu continuiren mächtig und gehalten seyn soll.*

C 2

Nihil

(b) vid. opus egregium NEVRODII, *pragmatische Erläuterung des iüngern Reichs - Abschieds*, VIIter Hauptth. p. m. 393. S. 4.

(c) lege fis eas ibidem.

(d) §. 100.

Nihil itaque noui hac lege introductum, sed substitutio, quae antea in arbitrio litigantium posita erat, ea nominatim est mandata. (e)

Quae quidem lex, sicuti communis est, ita communi patriae iure procuratori ad iungi debet substitutus. Itaque non possumus non sententiam illam assensu nostro comprobare, quam legimus in Magni LYNCKE-RI Decisionibus, (f) *und hat die von Beklagten vorgenommene Revocation der dem hiesigen Anwald gegebenen Vollmacht, als ohne*

(e) NEUROD. loc. cit. §. 4. p. m. 393.

(f) Centur. IV. Dec. 316.

dem unförmlich, bevor diesfalls anderweite
Bestellung geschehen, *nicht statt.*

Idem quoque fanciuit sapientissimus Augu-
stissimusque nunc regens Prussiae legislator, (g)
quia reipublicae interest; substitui procura-
toribus alios. (h)

§. IX.

Conclusio.

Dissentientium argumenta enodare, nec
difficile uidetur, nec festinatio nostra per-
mittit,

C 3

(g) uid. Proiect. Codicis Fridericiani P. I. T. XV. §. 14.
edit. in Guo p. 114.

(h) ibidem §. 15. *Weil dem Publico daran gelegen, das aus
Mangel des Substituti die Prozesse nicht liegen bleiben.*

mittit. Hoc tamen silentio haud inuoluen-
 dum, TITIVM (a) contrariam sententiam
 ob eam rationem tueri, quia mandati ne-
 gotium sit diiudicandum ex hominum uo-
 luntate animorumque affectibus; quibus mu-
 tatis, non consultum esse iudicat, inuitos in
 contractu retineri, cum mutuo consensu fa-
 cta, mutuo dissensu dissolui possint.

Haec omnia autem pertinent ad obli-
 gationem domini et mandatarii inter se, qui-
 bus tamen tertio damnum inferri nequit.

Saepe id, quod initio est uoluntatis fie-
 ri deinde necessitatis, nec quod semel man-
 datum

(a) in Iure Priuato Libr. 12, Cap. I. §. 33. p. m. 1515.

datum extat, re non amplius integra reuocari, nec quod semel placuit, in praeiudicium tertii displicere posse iuris periti tradunt. (b) Saepissime id, quod reuocare, certo modo licet, alio respectu reuocari nequit. (c)

Quae quidem in uarios probari possent modos; sed iubet pagellarum nostrarum angustia, commentationis filum hic abrumpere, alio forsan tempore deducendum amplius.

(b) BECKIUS in Decif. et Respons. Resp. 24. nr. 6. 7. 8.
p. m. 245. ibique allegati iuris textus.

(c) uid. HOFFMANNI Consilia Tom. III. Conf. 17. nr.
10. p. m. 281.

datum extat, re non amplius integra reuo-
 carit, nec quod semel placuit, in praeiudi-
 cium tertiū dupliciter posse iuris periti tra-
 dunt. () Sacrosanctum id, quod renovare,
 certo modo licet, alio respectu renovari ne-
 quit. ()

Quae quidem in variis prodant possent
 trados; sed inter pagellarum nostrarum an-
 gulis, commentationis istam hic abstraxerunt
 alio forsan tempore deducendum amplius.

(b) Accurata in Dactyl. et Respon. Resp. 24. m. 6. 7. 8.
 p. 242. hinc aliquid iuris textus.
 (c) ind. BOYERMANI Consilia Tom. III. Cons. 24. m. 2.
 p. 242.



He 299

ULB Halle

3


007 679 246



VD 78







B.I.G.

Farbkarte #13


DE
MANDATO NEC DOMINI
MANDATARIII VOLVNTATE REVOCANDO
BREVIS DISQVISITIO

QVAM
ALVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
ROLO GEORGIO ADOLPHO
DE ZERBST

NISSIMI PRINCIPIS VALDECENSIS
CONSILIARIO INTIMO
C REGIMINIS CIVILIS ET ECCLESIASTICI
PRAESIDI GRAVISSIMO
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
OFFERT ATQVE DEDICAT

He 299

DOVICVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ.



FRANCOHVSÆ, TYPIS KEILIANIS
ANNO MDCCLII.

